# VINCENTII BLASII GARCIAE VALENTINI DE FELICI S.D.N. GREGORII 14. PONTIFICATU AD…

Vincente Blas Garcia

## AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. D. IOHANNEM S. MARIAE Tranſpontinæ Præsbyterum Cardin. de Mendoza Hiſp. Protectorem

### PRAEFATIO.

QVemadmodum, Illuſtriſs. Cardin. natura fit, vt quò Sol altior circumfertur, eò arcus illos, qui in cælo, variis coloribus inſignes, apparent, minores efficiat, ita vi occulta quadã, euenit, vt, quo vberior, & copioſior ad dicendum, ſpecioſior ad illuſtrandum materia ſuppeditat, eo ſit ieiunior, & incultior dicentis oratio. Rerum enim ſummam copiam ſumma verborum inopia ſæpe conſequitur; ſplendor quæuis obſcurat ornamenta, quoduis ingenij lumen extinguit; magnitudo, atq. præſtantia omnem vim vel acriter concitatæ mentis elidit, ſic, vt neq. ſingulis recenſendis par memoriæ, atq. prudentiæ felicitas, neq. exornandis idoneus ſatis cultus, & elegantia, neq. exaggerandis æqualis verborũ granditas, grauitasq́. ſententiarum poſſit adferri. En, cur, vbi ſeſe magnifice iactare, ac efferre debebat orator, ibi illius langueſcat induſtria; animus cõcidat; totaq́. ars ipſa, onere ſuſceptæ rei grauiſſimo non preſſa modo, ſed etiã oppreſſa ſuccumbat. Vt iam obſcurum, inane, & tenue genus argumenti optandũ pœne magis ſit, quam illuſtre, plenum, & amplum. In illo ſi quidẽ cum mediocria, atque adeo etiam minora mediocribus, requirantur, facillimum eſt, & rem cum dignitate tractare, & hominum expectationi ſatisfacere: in hoc præterquam quòd rerum magnitudo, &, quæ ex magnitudine proficiſci difficultas ſolet, captum ſuperat, & ſpem inde

ſeſe honeſte explicandi debilitat, eſt præterea hoc incō-
modi, quod, quamuis plus, quām eſt cuiuſquam animo,
& conſilio hominis poſtulatum, operæ nauādæ cupidus;
præſtiteris, minus tamē, quam debebas, feciſſe iudiceris.
Voluntas, quæ conata eſt, sed non abſoluit, contēptui; co
natus, qui inſtituit, ſed non perfecit, ludibrio erit. Quaſi
tuis res ipſa ſordibus obſoleuerit, nō illa ingenij tui aciē
obtuderit: quaſi tu inſcitia tua multū de rei dignitate de-
traxeris; nō te illa amplitudine ſua, & grauitate indiſer-
tum, & infantem reddiderit. Id ego cū alias ſæpe, tum eo
die, non quidem preter opinionem, ſed contra voluntatē
ſenſi, cū alieno potius conſilio, quam mea voluntate du-
ctus Greg. xiv. abſentem, quaſi præſentem, ſalutaturus,
deq. felici illius Pontificatu dicturus, in publicū prodij.
Quid eo vberius argumēto, quid copioſius, q̃d excelſius?
quid cōtra oratione tenuimus, exilius, abiectius? Nimi-
rum inopes nos copia fecit: & feciſſet ſine dubio quemli
bet, quantūuis exercitatiſſimū, & omni liberali doctrina
politiſſimum. Hæc res, quæ tanta quidem eſt, quanta po-
teſt eſſe maxima, tuā haud obſcure laudē reſpicit, Card.
Illuſtriſs. qui ſuperioribus in comitiis, totus ad rem chri
ſtianā attollendam conuerſus, nihil habuiſti antiquius,
quam ſpectatam virtutem; nihil duxiſti maius, quàm me
rita: nihil diligentius obſeruaſti, quā publicam vtilitatē,
atq. cōcordiā. Neq. vero iſta vere pia, religioſa, nobilis,
& te digniſſima mēs latere potuit nacta oculatos teſtes,
reliquos Illuſtriſs. Card. quos ſimilis charitas, par pie-
tas, idem acerrimum chriſtianæ pacis, & requietis deſi-
derium omnibus tecū fecerat ſenſibus coniunctiſſimos.
Meritò omnes boni eam felicitatem, cum à Deo diſce-
dunt, qui humanis rebus eo tempore prouidit, quo nullū
fere acerbius, nullū durius, Ampliſs. Patribus acceptam
referunt, qui ſua ſuffragia ad Dei gloriam, ad vniuerſæ
Eccleſiæ dignitatem, ad chriſtiani populi ſalutem, ſanan
dasq̃. impiorum mentes, omni affectu ſublato, contule-
runt. Ratus ergo, vt ad me redeam, hanc quæcunque ſit,

orationem tibi,vel ea ſola de cauſſa,quod de felici S.D. Noſtri, Gregorij xiv. quem præcipua quadam religione colis,Pontificatu nonnulla contineat,gratiſſimam fore, ſub Illuſtriſſimo nomine tuo in lucem edendam curaui. Collegeram,vt ingenue fatear quędam in eum vſum,vt illis ſummum Pontificem, ad ſanctiſſimos illius pedes oſculandos admiſſus,more chriſtiano, ſalutarē:ſed cum id impetrare nondū potuerim,ab illis eiſdē, in orationis primam partē inſertis, exordiri volui, ne totus ille, qualis, qualis eſt,periret labor.De B.Petro honorifica facienda mentio fuit,quod is, ad cuius voluntatem totam dicendi rationem accommodaui, eum mihi diem præſtituit, qui eſt B. Petri Cathedræ feſtus apud chriſtianos, & ſolennis. Sunt quidam,vt audio, qui hac in oratiuncula vnū ac certum deſiderent, quod noſtrū ingenium exerceret, argumentum.Equidem miror hoc vnum:Cum ego in ea & in me ipſo,eius auctore,tam multa deſiderem.Hoc tamen lætor, quòd vna, & eadem opera, duo, quæ optaui maxime, & quorum gratia, perpeti quiduis poſſem, neceſſario conſequar.Nam qua pietate,& obſeruantia Gregorium xiv.proſequaris,vel ex eo coniici poterit, quod, qui publicam de felici eius Pontificatu vocem primus ediderit,ex tuorū ſit numero;& hoc munuſculo,quo multa quidem grauiora, ſed tibi iucundius nullum,gratiam tuam,in qua mihi poſita ſunt omnia,derebor. Hæc duo tanti facio, tantiq́. facienda puto, vt alterutro felix ſim ; cum vero vtrunque contingat, feliciſsimus.

Ioannes Baptiſta Viues Valentinus.

VIN-

# VINCENTII BLASII
## GARTIÆ VALENTINI
## DE FELICI S. D. N. GREGORII XIV. Pontificatu, ad Amplisſimos S.R.E. Cardinales Oratio, habita in Babilica S. Petri xv. Idib. Ianuarij anno ſalutis humanæ M. D. X C I.

DIuinus ille, non linguæ ſolum, ſed etiam animi, ac virtutis magiſter, Plato, Cardinales Illuſtriſſimi, hunc, quem videmus, mundum ſubterraneæ ſpeluncæ ſimilem eſſe, & in ea homines vinctos ætatem degere, nihilq. præter vmbras, à ſuſpenſa ignis face in aduerſam antri partem cadentes, videre ſæpe dicebat. Qui, ſi quando pate factis terrę faucibus, ex cæcis & tenebricoſis extracti latebris, exſutiq. vinculis foras emitterentur, non dubitabat, quin rerũ ſpecies, quarum antea ſimulacra cernebant, læti intuerentur, in eoq. defixi ſpectaculo, admirarentur, & obſtupeſcerent. Tunc enim veram lucem, tunc aureũ Solem, mundi mentem, ac tempe rationem, tunc cælum aſtris diſtinctum, & ornatum, tunc inuſitatam operum, quæ ſolers, ac prouida effecit natura, pulchritudi nem tanta cum voluptate contemplarentur, vt ſertis, & frondibus, choræis, & cantibus incredibilem illam felicitatem celebra rent. Hoc longe maximi, longeq; optimi philoſophi ſi nõ ab ina ni mendacio, ſed arecta ratione profectum eſt de rebus humanis iudicium, qua me decuit exſultare lętitia, & triumphare gau dio tunc, cum extractum ab illa ſpelunca, quo, in hanc vitam ingreſſum, natura detruſerat, excepit Roma? Quæuis ciuitas, etiã florentiſſima, ignobilis eſt angulus; quoduis regnum etiam latiſſimum, peranguſtum ergaſtulum; quæuis libertas, vincula, & ſeruitus,

Speluncam appellat patriam.

uitus,

uitus, quiuis locus etiam magno ſplẽdore colluſtratus, quidam ſpecus, ſi cum hac beatiſſima ciuitate conferantur. In ea Sol lucet ſine tenebris; ſydera ſplendent ſine caligine; cælum nullis nubibus obducitur; res quantæ, qualesq. ſunt, ſeſe intuẽtibus obiiciunt, cum in aliis earum tantum vmbræ vagentur. Dicam hæc quidem planius: ſi quemadmodum facere cœpiſtis, mihi breuiter peroraturo, attentas, ac patientes aures, pro mea erga vos obſeruantia, accommodare volueritis. Audiebam antea, intra meæ patriæ, quaſi caliginoſæ ſpeluncæ, compulſus anguſtias, eſſe Romæ Pont. Maximum, qui ad Reip. Chriſtianę clauum ſederet; ad quem rerum humanarum ſumma reſpiceret: qui veluti Sol, reliquorum luminum moderator, ac princeps, tenebras ignorantiæ, ſuperſtitionis, & impietatis diſiiceret; vitiorũ ſordes elueret: ſcelerum maculas abſtergeret; & cunctis mortalibus, qui caſte, integre, iuſte, pie viuerent, aditum ad cælum, Deiq. conſpectum, in quo æterna beatitudo conſiſtit, aperiret. Audiebam longe lateq. fulgere ſydera quædam omnium ſcientiarum, omniumq. virtutum, Cardinales nimirum, viros integerrimos, & omni laude cumulatiſſimos, qui ſtudio proferendę Chriſtianæ fidei vehementer incenſi, grauiſſima ſuſciperent, vt neſcit otiari vera virtus, rerum onera maximarum; nec ſomno, nec valetudini parcerent, etſi valetudo ſit, id eſt, rerum omnium chariſſima; reſpuerent vel honeſtas, ac licitas voluptates, &, ſi res ita ferret, adirent certiſſimũ capitis diſcrimen, modo Chriſtiani ſtatum orbis florentẽ, atque beatum efficerent. Audiebam Romanam Eccleſiam, reliquarum omnium Reginam, ſine controuerſia, & dominam, vt cælum aſtris, ſic pietate, religione, ſapientia, ſanctitate, diuiniſq; virtutibus excultam, vſque adeo, nihil vt ea fieri, ac ne fingi quidem poſſit auguſtius. Hæc ego admiratus audiebam; pendebam ab ore narrantium; patriis illis & tenebris & vinculis impeditus, vmbras tantum rerum, pro rebus ipſis complectebar, & inanibus ſpectris delectabar. At quæ fama tantum, & auditione accepta, obſeruare, & colere ſolebam, eadem ipſa, quanta, & qualia ſunt, vere intueri, religioſe ſuſpicere, ſuppliciter venerari vt aliquando tandẽ potuerim, fecit Roma, cum ſanctiſſimũ Dominum noſtrum, Gregorium decimum quartum, in ſublimi ſella, ſub vmbraculo, auro, & purpura intertexto, collocatum, & perſancta ampliſſimorum patrum corona circumſeptum, non tam ſpectandum nobis, quam venerandum, oſtendit. O Roma! quę fuit illa tũc ſpecies? quæ omnium mentes, quaſi attonitas, atque ſuſpenſas detineret. qui fulgor? qui intuentium oculos omnino præſtingeret. quę maieſtas? quæ

Spelunca, tenebrę, & vmbrę rerum.

Sol Sũmus Pontifex.

Cardinales ſydera.

Romana ecclesia cęlũ.

cæleſti

oluptas ex conſpectu rerum.

Admiratio rerum obiectarum.

Stupor, & horror rerum inſolitarum.

D. Petri cathedra.

Ad Summũ Pont.

Quindecim diebus Iubilæi.

cęleſti par, aut certe ſimillima, ſic pręſentium animos afficere ſic ſpiritu concitaret, vt a ſeipſis diſceſſiſſe, & in cælum euolaſſe viderentur. Ego quidem tantam eo die omnibus hauſi iucunditatem ſenſibus, vt illam capere dum pro virili parte contenderem, præ illins magnitudine pœne deſipiens, mẽte cõmouerer. Deſerebat ſe quodammodo mens mea, & extra ſe rapiebatur, cum ex abditis illis ſedibus in hęc ſupera loca euadens, ſolidam, veram, expreſſam rerum faciem, non ludricas imagines, vt antea, atque vmbras intuebatur. Horrebat animus, tremebat, trepidabat, cum tenebris aſſuetus, inſolitum illam elegantiam, poteſtatem humana conditione maiorem, maieſtatem, qua non alia in terris magis veneranda, &, cui par nulla reperiri poſſit oratio, pulchritudinem accurata æſtimatione, & tacita perpendebat. Dicam, quod ſentio, & libere dicam. Non eſt tanta in cælo lux, non tantus in luna decor, non tantus in aſtris ſplendor, non tanta in cęlo venuſtas, nihil denique eſt in vniuerſi natura, tanto lepore cõſentiens, quod eſſe cum illo ſpectaculo conferendum videretur. Verum hodierno die, cum iam omnis ille, qui me oppreſſerat, ſtupor obſceſſerit; manſerit præteritæ voluptatis mirificus ſenſus, cum vox quam celebritas illa rerum, miraculo proxima, ademerat, reſtituta ſit, & ego met mihi redditus, date hoc & concedite per humanitatem veſtram, per eum, in cuius ſanctiſſimo tẽplo ſumus, cuiusq. honori hic dicatus eſt dies, vt qua S. D. Noſtrum, ſi licuiſſet, non tam meo, quàm bonorum omnium nomine, præſentem ſalutaſſem, eadem abſentem oratione compellem. Quamquam numquam mihi, Sanctiſſimus Pater abſens eſt; heret in præcordijs; habitat in mente; verſatur ante conſpectum. Nam quemadmodum, qui Solem intuentur aduerſum, eandem, quocunque oculos conuertant, perlucidi orbis imaginem videre videntur, ſic ubi illum ſemel aſpexi, uiua quædam eius, quam ſuſtinet, imago perſonę oculis meis ſemper obiicitur.

Salue igitur, Gregori XIV. Pontifex, re & nomine Maxime, legitime D. Petri ſucceſſor, inter quem, & Chriſtum nulla interiacent humana: ad quem tamquam ad ſacram anchoram, oraculumque cęleſte confugimus; Cuius vox eſt Spiritus ſancti uiuum, ac verum inſtrumentum: ad cuius nutum, ac uoluntatem æternę beatitudinis fores occluduntur, ac recludũtur: apud quem immenſi diuinę clementiæ theſauri oſſeruantur, quos Pa indulgẽtiſſimus, uerus Chriſti Vicarius, largiſſimus bonorũ omnium diſtributor ad generis humani ſalutẽ effundis, ut toto hoc tempore, cũ maximo ſuo cõmodo, terrarum eſt orbis expertus.

Saluete

Saluete vos etiam, ſacroſanctæ Eccleſiæ Principes, commemorabili virtute, ac pietate præditi, columina firmiſſima diuinæ legis, validiſſima Chriſtianæ ſecuritatis præſidia, munitiſſima veritatis, hiſce temporibus tam corruptis, & perditis, miſerrime laborantis, & extrema fere ſpe pendentis, propugnacula. Ad Cardinales.

Salue denique Eccleſia Romana, lectiſſima Chriſti ſponſa; ſalue cultiſsima, & inexplicabili artificio a cæleſti Agricola cõſepta, & conſita, Vinea, cui Agnus Dei ſempiternam, ſuo pretioſo ſanguine, fœcunditatem conciliauit; quam Spiritus ſanctus diuino rore aſſidue irrigat; à qua immanium hoſtium inſanos impetus propulſat; tonitrua, fulmina, grandines, tempeſtates auertit. Salue, miriſſima Columba, quæ tibi nidum in fide conſtruxi, vbi molliſſime cubas, tuтиſſime de his, feliciſſime conquieſcis. Tuos volatus, nulla in extremitate conſiſtentes; ſed infinitatem omnem peragrantes, cæleſtis præſidij confidentia, atque adeo etiam ſpes ipſa proſequitur. Tua ſoboles in ardentiſſima Dei, & Proximi charitate propagatur. Pro te vigilantiſsimi Patres perpetuas excubias agunt, vitam, &, ſi quid eſt vita charius, cum opus fueritrpro tua incolumitate profuturi. Tui cuſtodiā ſummus ille pacis auctor, munerumq; largitor Gregorio Decimo quarto commiſit, vt, quod nomine ipſo præſefert, re ipſa præſtet, teque puram, intactam, illabatamque tueatur, atque conſeruet. Ad Eccleſiam Romanam. Vinea. Columba. Fides. In omnem terram exiuit ſonus eorum. Spes. Charitas. Gregorius. I. vigilans.

Quo in munere ita ſe Beatiſsimus Pater perit, vt proxima illius creatio diuinæ potius prouidentiæ, quam humanæ prudentiæ referi debeat accepta. Et quidem ſi vllis vnquam comitijs declaratum eſt, non humano iudicio, ſed diuino conſilio, non hominum munere, ſed præſenti Spiritus ſancti numine, Pontificatum dari, id ſnperioribus ita patefactum eſt, vt nullus impoſterum ineptis, ad dubitandum, ad ignorandum ſtupidis, impijs, & totius religionis contemptoribus ad negandum relictus ſit locus. Vt enim in tanta diſſentiendi materia, tantaq. varietate, atque diſsimilitudine ingeniorum, vnus eſſet omnium ſentus, vna mens, vna voluntas; vt æquiſsimis cęterorum animis, ea vni dignitas deferretur, qua nulla in terris auguſtior; vt in tam admirrabili, & exquiſita lectiſsimorum, diuinorumque virorum copia, is potiſsimum eligeretur, qui minime omnium ambiens, minimeq. cogitans, in illa, cælo proxima ſede, merito, iureq. optimo collocatus cenſeatur, auctor ille fuit, qui ex ipſis amoris flammis, quibus ſe Pater, Filiusq. complectuntur, procedens, pietatis eſt fons, chariatas ipſa, & pignus hæreditatis. Is afflictam Eccleſiæ ſuæ miſeratus conditionem, immortale veri- Altera pars orationis. Põtificatus Spiritus ſãctus munere datur. Spiritus ſanctus.

 tatis,

tatis,& ſapientiæ lumen ſacro collegio, prætulit, ne in tam ancipiti,grauiq; negotio,cogitationes illius, ac ſtudia a communi bono,atque ſalutis aliquis fortaſſe, vt homines ſunt, error auerteret;ne deliberandi maturitatem præceps nimis vrgeret alacritas ; deligendi prudentiam humanus affectus impediret ; declarandi celeritatem aliqua moraretur offenſio . Hinc factum eſt, vt qualem Eccleſia,innumerabilibus cincta periculis,Præſidem, Petri Nauicula,ſæuiſsimis ventorum turbinibus, atque procellis agitata,Gubernatorem ; piorum , & ex animo fidem colentium Grex aſsiduis immanium luporum inſidiis circumuentus, Paſtorem,Chriſtiana Reſpb.peſsime affecta,& prope depoſita, Medicum deſiderabat,talem Spiritus ſanctus elegerit , ampliſſimi Patres,diuinæ voluntati parere ſoliti,& vrbi,& orbi renunciarint.Nam qui vos,Cardinales illuſtriſsimi ſummorum Pontificum voce,in iſtum,celſiſsimo vicinum,gradum honoris euexit,ille idem,percauto, ac diligenti veſtro delectu , Ieſu Chriſti Vicarium,& Petri Succeſſorem,Chriſtiano populo implorante, temporibus reip.flagitantibus declarauit.

In deliberando maturitas, in deligendo prudentia, in declarando celeritas commendatur.

Conuenerat inter duos fratres, celeberrimos ſtatuarum artifices , Teladæum, arbitror , & Theodorum , vt ex duobus ſaxis vnum fabuloſi cuiuſdam numinis ſimulacrum efficerent, laborẽ ita partiti, vt alter in ſamo caput , e ſumma pectoris , alter reliquum corpus Epheſi politiſsima arte perficeret . Abſoluto iam penſo , cum vterque ſuum opus cum alterius opere collaturus accurriſſet, illius tam apta,ac eleganti ſimilitudine ſigni partes conuenere, vt,non ex duobus ſaxis duorum artificum,ſed vnius ex vno lapide artificis opus crederetur. Quos enim diſtantia loci a mutuo colloquio,& conſultatione ſecluſerat,eorum mẽtem primum,deinde mentis miniſtras manus, omnibus abſoluta numeris,& ſemper ſui ſimilis , ab arte præſcripta ſculpendi ratio ſic rexit,ac moderata eſt,vt in vnam integræ ſtatuæ faciem,mira conſpiratione,conſenſerint.Non equidem dubito,quin,quæ veſtra prudentia eſt , & acumen ingenij , intelligatis , quo hæc mea tendat oratio; pergam tamen vel ineptus mei ſenſus interpres . In effingendo ſummi, æterniq; ſacerdotis ſimulacro , ueſtræ fuerunt partes ſtatuere , atque decernere , qui rerum ſummæ præficiendus , cui cælorum claues tradendæ eſſent ; noſtræ uero eum optare , cuius ſapientiæ , fidei , poteſtati dignitatem noſtram, ſalutem, incolumitatem,aras,templa , diuina omnia, & humana committeremus. Vos in vnum collecti, & in conclauie,de more,abditi;nos ſemoti,& tantæ rei, quanta in diſceptatione verſari poſsit expectatione ſuſpenſi, & moræ , paullo diuturnioris,metu ſolliciti. Verum Spiritus ſanctus veſtras mentes

Pauſanias auctor.

Pythij Apollinis.

Huius Artis genus Græcis ignotũ fuit, apud Ægyptios vſitatum.

Fere duorum menſium.

noſtris

noſtris votis,veſtra ſuffragia noſtris lacrimis tam felici conciliauit euentu,vt,Gregorio XIV. ad Eccleſię clauum ſedente, qui illum expetiuerint,creaſſe,qui creauerint,expetiuiſſe videantur. Qua vna re,quid,obſecro,multis ab hinc annis eſt Romę geſtũ maius?Quid glorioſius?Quid commendatius memoriæ hominũ ſempiternæ?Habitus eſt ſuus eximiæ probitati honos;tributum laudatiſsimis actionibus debitum pręmium; meritis in vniuerſum hominum genus plurimis,& maximis perſoluta merces amplisſima. Excellit iam is honore, auctoritate, potentia, gloria, qui ingenio,doctrina,ſanctitate,virtutumq. omnium concurſu, nihil prope, cæleſtibus animis inferior eſt, & iudicatur. Quod quam paucis,hoc noſtro ſeculo contigerit, exemplorum teſtatur infrequentia.

Facile ſibi ad honorẽ virtus viam aperit.

Iure omnis ordinis,omnis generis, omnis ętatis, & fortunæ viri Deo opt. Max. bonorum omnium auctori, tantas agunt gratias,quantas eorum mens, & cogitatio capere poteſt: iure exſultandi,ſibi gratulandi,dies feſtos agendi,templa adeundi, Diuis omnibus pro S. D. Noſtri in columitate ſupplicandi nullum finem faciunt. Vt enim ęquum non eſt tempore, & die tanti, & tam diuini memoriam beneficij definire, ſic huius gaudij non eadem,quę ceterarum rerum,debet eſſe natura. Quiuis ardor animi aliquando tandem refrigeſcit: impetus interiecto ſpatio frangitur:dolor,quanuis vehemens,laceranſq. animum, longinquitate temporis,aut minuitur,aut mollitur: nulli citius iram remittunt, quam qui facile iraſcuntur: denique nulla iucunditas eſt, quæ non euaneſcat ſenſim ſemper, ſæpe ſine ſenſu. Sed hæc orbis Chriſtiani voluptas ſic eſt animis infixa, vt euelli,ſic foras erumpere geſtit, vt coërceri non poſst; ſic crebro in memoriam reuocatur,vt nullum Sol nobis diem afferat,qui nõ ille idem videatur, qui nonis decembris,felix, fauſtus, fortunatus illuxit. O vere beatũ illum diem,in quo cælum, nouo electo ianitore,effuſe lętari,ſplẽdidiſsime ĩ orbẽ verti,rebuſq. humanis iucundius ſolito,arridere viſum eſt. Sol ipſe, quaſi ſalutaturus eum,qui iuſtitiæ Solem exprimere incipiebat, multo clarior, ac pulchrior luxit. Muta Tellus,quæ paullo ante mœrens,in ſordibus,ſitu,ſqualore iacuerat, ſalutarẽ pacificatorem nacta, nouã, eamq. venuſtiſsimam faciem induit. Vrbs ipſa,& Vrbis ſeptem colles,ſuis,ſi rerum natura ferret,conuelli ſedibus, ad ſanctiſsimos beneficentiſsimi Domini, indulgentiſsimi patris pedes ſe prouoluere,illiſq. oſcula,ſæpe repetita,figere velle videbantur. Perpetuus Romanę virtutis,& locupletiſsimus teſtis, ac in vtraque fortuna comes aſsiduus,Tyberis rapidum ſuum, ac peren-

Cõmunis lętitia,& gratulatio.

Nihil fere diuturnũ.

nem curſum retardauit,vt,non per partes, ſed totus,ſi fieri poſ-ſet,tantę aliquandiu gratulationi felicitatis intereſſet.

Atque hęc,& alia fortaſſe maiora, inanima iſta conſilij,& rationis expertia illo die,reliquis autem,qui ſubſequenti ſunt,& ſubſequuntur,diebus,quid nos facere oportet, quibus ſanctiſsimus Pater in exſpectantam ſemperlætandi non occaſionem modo,ſed cauſſam,nec cauſſam tantum,ſed etiam neceſsitatem adfert? Admirabilis illa veterum Pontificum ſanctitas quotidie magis,ac magis ſuſcitatur; renaſcitur quodammodo æquiſsimũ illud in Chriſtiani nominis hoſtes odium;acris,vehemens, nulli ſumptui parcens, nullum recuſans laborem verę religionis conſeruandæ,atque in omnes oras, parteſq; terrarum propagandę cupiditas ſic viget, vt nunquam fere magis, & vllum vnquam tempus ſit,quo tantorum in nos meritorum recordatio,ac fama moriatur?Communis concordiæ,publicæ pacis,Chriſtianę ſecuritatis, iuſtę, ac nunquam non neceſſariæ ſtudium ſeueritatis, aptiſsima lenitate conditæ,reuiuiſcit; fiuntq; omnia bona renouata,multò illuſtriora,quàm ſi nunquam obſoleuiſſent; recuperata,iucundiora,quam ſi nunquam amiſſa fuiſſent,& non ſint futuræ omnes mutæ litterę, ſi de Gregorij XIV. Pontificis poſt hominum memoriam optimi,laudibus conticuerint?Non ſurda poſteritas,ſi rariſsimas illius, & exquiſitiſsimas virtutes ignorauerit?Non ingrata prçſensętas,ſi memoriam ex animo depoſuerit?Non inuida, ſi exſultandi, & gaudio geſtiendi modum vnquam fecerit?Etenim etſi nihil eſt optandum magis, quam proſpera,æquabilis, perpetuoq. ſibi conſtans, fortuna ſecundo rerum,ſine vlla offenſione,curſu,tamen ſi nobis tranquilla omnia, placata,& pacata, ſuperioribus annis, contigiſſent, incredibili quadam,qua nunc fruimur, lętitię voluptate careremus. Eam vero tantum abeſt,vt lãgueſcere S. D. Noſtri prolixa imprimis, ac benefica natura ſinat,vt etiam,noua ſemper in omnes beneficia conferens,ſic foueat,vt augeat;ſic augeat, vt efficiat, vt, ne quidem crebra vſurpatione, & aſsiduo vſu, quo facile cuiuſuis oblectationis ſenſus extinguitur,nouitatis exſuat gratiam. Exſtat,& eminet,quod prçſentes admirentur; quod imitentur poſteri;anni quod religioſe excipiant conſequentes;æternitas omnis quod intueatur Pontificiæ perſonæ,ac muneris exemplum, & vlla ſit immodica lætitia?Habemus Pontificem,qui grauiſsimâ cęli,terræq. molem tanta cum ſua laude, tamque inuſitata omnium pœne gentium admiratione ſuſtineat, vt cuius ille vicẽ in terris gerit,is illi non optatam conceſsiſſe, ſed quaſi debitam ſupremi Põtificatus indignitatem quodammodo perſoluiſſe videatur,

Sic gratior poſt tempeſtatem trãquillitas, poſt morbũ ſanitas,&c.

deatur,

dearur, & ulla ſit itnempeſtiua, & ſera gratulatio ? Non id ſentiunt Chriſtiani Reges, ac principes, qui, per legatos uiros e tota ſuorum nobilitate ſelectos, & diſertiſsimos oratores ad ſanctiſsimos Gregorij XIV. pedes procumbent: ei officioſe gratulabuntur; copias ſuas omnes, opes, ditiones, regna deferent; obedientiam, obſequiumque præſtabunt.

Nulla gratulatio ſera.

Quod iam facere cœperunt.

Id autem cum alter altero tardius, aut celerius faciet, omnes quidem hoc facere velle videbuntur, vt ad renouandam inſtaurandamque lætitiam, ſic ſe ex compoſito feciſſe teſtentur. Veteri quidem Græcorum more, qui ad apparatiſſimos & magnificentiſſimos ludos, quinto quoque anno celebrari Athenis ſolitos, eo ordine accedebant, vt, cum feſſis integri, recenteſq. ſuccederent, nunquam, eo toto tempore, ludentium, ac ſpectacula edentium alacritas intermiſſa langueſceret. Vni ſunt, & nimis, proh dolor! multi, impietatis auctores, generis humani peſtes, turbines, atque procellę religionis, hæretici, qui in hac communi lætitia, in hoc affluenti gaudio, & inſperata felicitate intimorum dolore ſenſuum torquentur; inuidia diſrumpuntur. Petri Nauicula, quam immanibus abſortam fluctibus efferatis animis concupiſcunt, vobis, Cardinales Illuſtriſſimi, vigilantiſſimis Nautis, & vtriuſque nauigationis experientiſſimis, & Gregorio XIV. Gubernatore tam perito, tam induſtrio, nunquam conniuente, nunquam a Cynoſura diuinæ legis, & voluntatis, oculos amouente, non modo læta, & alacris vela pandit, ſed etiam tali cœpit nauigatione vti, qualē vectores optare quidem facile poteramus, ſperare nō item. Hęc res homines iſtos (ſi modo homines ſunt) mētis cæcitate dementes, excruciat, & quod illos, ſi quid haberent ſanitatis, a rebellis animi contumacia ad diuinum imperium, a diuturna peccandi conſuetudine ad ſanctiſſimæ legis obſeruantiam, & cultū traducere debuiſſet, hoc in impietate affirmatiores reddit, & obſtinatiores. O rem veriſſimis lacrimis deplorandam! Exiſtere homines tam omni humanitate derelictos, vt eos neque lenitas, & ſeſe vltro vel non quærentibus obiiciens Beatiſſimi Patris clementia, & ad condonandum propenſiſſima voluntas, ad meliorem mentem alliciat: neque diuini numinis timor in officio contineat; neque iudicium, de quo cum cogitant ſumma integritate, & innocentia, viri non ſolum commouentur animo, ſed etiam toto corpore perhorreſcunt, a peſtifero ſenſu dimoueat! Num cæli conſpectus eius, cuius ſpem ipſi, ipſi, inquam, ſua ſibi prauitate, & improbitate præciderunt, beatitudinis cupiditatē in eorum animis accendit? Num amiſſæ dolor diuinæ gratiæ admuta-

tionem

tionem conſilij, quæ tutiſſimus eſt pænitenti portus, impellit? O monſtra! o portenta, omnium, quæ aut aluit terra, aut vidit ſol, importuniſſima? Tantane amentia eſtis, vt nullis rationibus nixi contra rationem pugnetis? tanta impudentia, vt quod in barbaris rideremus, id vobis magnæ apud veſtri ſimiles auctoritati, & gloriæ futurum putetis? Quis furor eſt, Veritatem, ex altiſſimo cæli faſtigio in terras demiſſam, & omni demonſtratione certiorem, contemnere, & peſtilentes errores, ſtulta mendacia, tenebras pluſquam cymmerias, conſectari? Quæ rabies, bellum nefarium, impium, & omni ſcelere imbutum, contra cęlum ſuſcipere, oblatam pacem, honeſtiſſimas conditiones ſuperbe reſpuere, Deum ipſum, Deiq. inter homines munere fungentem ad certiſſimam perniciem iritare? Quouſque tandem abutemini diuina patientia? Quamdiu vos iſta cæcitas eludet? quamdiu durabit iſte cordis ſtupor? Sumite, ſumite per eum, qui pro noſtra ſalute atrociſſima quæque perpeſſus e cruce pependit, ſumite (dicam tertiò) ad tempus ſobrij hominis cogitationem, &, ſi quid inferi manes vobis reliquerunt humanitatis, conſiderate, quæ ſint, poſt vitæ exceſſum, ſtultis, perditis, omni flatio imbutis, quos quidem à vobis primum numerare poteſtis, conſtituta ſupplicia. Quid hoc eſt, proh ſum me Chriſte? Ad Dei nutum terra eluuione, vt olim, obruitur, exuſtione, vt aliquando futurum credimus, deformatur: montes in planitiem deducuntur; valles æquantur: cælum tenebris obſcuratur: Solis curſus retardatur: marini fluctus diducuntur, & humanis terreſtre iter veſtigiis præbent: vniuerſa denique natura contremiſcit, verens, ne ad ſuum nihilum redigatur; & vos qui multa hominum millia fallaciſsimis artibus a veritate abduxiſtis; ſectas nefarias, ſeditiones, diſcordias, omnia, quæ humana fingi mente poſſunt, mala continentes, in mundum induxiſtis; cædibus, incendiis, rapinis ſtrupis, inceſtis florentiſsima regna miſerabilē in modum deformaſtis, non iratam illius vim, atque potentiam timebitis? non ſeueritatem, innocentiſſimo cuique haud leuiter formidandam, horrebitis? non æquiſsimi, cuncta animaduertentis, tacitas cogitationes explorantis iudicis reputatione trepidabitis? Per vos (pudet dicere quales) extincta fides eſt, humanitas ſepulta, iuſtitia proculcata, exploſa religio, deriſa, quantum in vobis fuit diuina maieſtas: & tamen in vtramuis aurem dormietis? & tamen, ne vos Cacodæmonum princeps, cui ſtrenuam operam nauauiſtis, velut immanis, & truculenta bellua, vno hiatu abſorbeat, verebimini, ne ſaltē trunci, ac ſtipites iudicemini? Quid expectatis amplius? nū vt vos ſtimulis fodiamus?

Hic,

Hic, ſi quid habetis hominis, vos lacerat, hic vos cruentat Pontificatus Gregorij X I V. qui cæleſti ſtans conſilio, maturitatem temporis & occaſionem captans, eo rem perducet, vt, aut vobis ſit veritati cedendum, quod, ſi me audieritis, celerrime facietis, aut gladio cadendum, quod minime vellem.

Sed ſtultus ego, qui de felici S. D. N. Pontificatu, & orbis Chriſtiani lętitia, & gratulatione dicens, de re, ſcilicet, cælo, terræq. gratiſsima, ad miſerrimam, & luctuoſiſsimam, & plane deſperatam oratione labar. Sentio me, Patres Ampliſsimi, vento, vt aiunt, loqui, dum, vt homines impudentiſsimos ſuorum ſcelerum pudeat, laboro; mortalium omnium audaciſsimos, & incredibili temeritate mentis elatos ab inſania reuocare, in ſempiternum exitium præcipites ab imminenti clade ſubducere, nullis eorum meritis adductus, ſed Chriſtiana tactus pietate, contendo. Non fuit tamen ab hoc loco ſanctiſsimo, nec ab hoc conſeſſu, religionis laude clariſsimo, nec ab hodierni celebritate diei prorſus alienum inter ſummi, ac optimi Pontificis laudes, eam vocem emiſiſſe, quæ, quamuis apud ſurdas aures parum, vel potius nihil profecerit; vos tamen viros omni dignitate principes, virtute, & maieſtate admirandos Heroas, ſit habitura teſtes, me verà dixiſſe, & ſalutaria monuiſſe.

Ab ijs ergo impudenter repulſus, à quibus libentiſsimis & auribus, & animis eram excipiendus, te vnum, Beatiſsime Petre, Apoſtolorum princeps, appellabo. Tuum eſt ab eo, qui tibi Eccleſiam ſuam laborioſe naſcentem, commendauit, quantum auctoritate, quantum gratia, quantum precibus potes, tantum contendere, vt excitet in iſtorum animis, miſerabiliter infatuatis, teterrimæ vitæ ſuæ animaduerſionem; expellat ab corũ mentibus horrendas inſcitiæ, & ſuperbiæ tenebras, quibus oppreſsi, verum diſpicere nequeunt. Deprehendant errorem ſuum; culpam agnoſcant; veniam petant; redeant iam in uiam; recipiant ſe ad Eccleſiam Romanam, verum illud tabernaculum, & æternę maieſtatis domicilium, in quo diuina mens ſemper inhabitat; ad hanc arcam fœderis, omnem iuſtitiæ regulam, & ſalutaris diſciplinæ, ac legis pręſcriptionem ſancte ac inuiolate continentẽ. Cedat iam tandem impura, ac tetra ſuperſtitio ſanctiſsimæ religioni; cedat noxia falſitatis caligo ſplendidiſsimæ veritatis luci; cedant nocturnæ coitiones, ſacra ſine cęremoniis, templa ſine Deo, cœtus ſine numine, ac nomine Eccleſiæ catholicæ. Quem operæ ſuæ Vicarium ſuppoſuit, Gregorium X I V. eundem non ſolum nobis ſeruet incolumem, illiq. parem cum ipſius virtutibus, tum noſtris votis vſuram vitæ largiatur; ſed etiam efficiat,

Preces verę Chriſtianę.

ut

vt illum omnes, aliter ſentientes, legitimum diuinę legis interpretem, cæleſtis viæ ducem, communis vitæ cuſtodem, ſalutis, & dignitatis vindicem agnoſcant, prædicent, nullo non honorum genere proſequantur. Hos Eccleſiæ principes, hęc ornaméta dignitatis, hæc pręſidia ſtabilitatis noſtræ, hos flores omnium virtutum, & doctrinarum, hoc, vt breuiter dicam, fœcundisſimum Summorum Pontificum Seminarium, in recto ſenſu confirmet, ſuoq. propitio numine protegat, & iuuet. Hanc ciuitatem, in qua ipſe pręcipuam ſibi ſedem conſtituit, vnde ea fundit oracula, quibus homines vitam cum ſumma integritate, & modeſtia traducentes, eam vitam nanciſcuntur, quæ reuera eſt vita nominanda, in eo ſtatu conſeruet, qui ſit maximo bonorum omnium conſenſu, & præclara infenſiſsimorum hoſtium confeſsione, florentiſsimus. Tu vrbem hanc tuam feciſti tot nominibus, ac tantis, vt nec plura, nec maiora quiſquam, ne ſi mentiri quidem velit, poſsit confingere. In ea primum ſanctiſsimæ diſciplinæ ludum aperuiſti, e quo humanæ vitæ magiſtri prodierunt tanta ſanctitate, vt non homines ex hominibus geniti, ſed ſpirttus quidam cæleſtes ducerentur, tanta conſtantia, vt ne quidem horribili carnificina, quæ vbique terrarum exercebatur, a propoſito, ſuſceptaq. ſententia terrerentur. Diuturna deinde ſupremi ſacerdotij poſſesſione, vt inter alia multa, meridiana luce clariora, illa eſt argumento cathedra, quam P. Romanus, hodierno die, vnus in terris rerum ſacratarum cultor acerrimus, ſuppliciter veueneratur, ſedem, Summi Pōtificatus, Eccleſiæ caput, arcem fidei effeciſti. Effuſo denique extremo ſpiritu ad eam dignitatem euexiſti, vt gens ſit ſancta, populus electus, vrbs regia, amplior, illuſtrior, glorioſior religione cæleſti, quam ditione terrena. Tandem oro, & obſecro (ne, cum reliquis beneprecatus ſim, meam ipſe ſalutem, per ſummam imprudentiam, neglexiſſe exiſtimer) vt ſi ex vero & ſolido locutus ſum animi ſenſu, quem etiam ſi ad exitum uitæ uocer, nunquam deponam, ea res mihi, clientulo tuo diuinum auxilium impetret; pręſidium tuum & tutelam comparet; horum illuſtrisſimorum Cardinalium, huius nobilisſimi, & litteratiſsimi concilij, huius humaniſsimæ, ac ornatiſsimæ coronæ, ſtudia, animos, beneuolentiam, amoremq. conciliet.

Roma B. Petri propria ciuitas, qa fidem Chriſtianam in ea docuit, multos annos pontificatū rexit, & in crucē ſublatus interiit.

B. Petri Cathedra.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE